

conscientia aut hominibus ipsis indita est ab ipsis hominibus, aut ab aliò quòdam. Non ab ipsis hominibus, quid enim opus esset, ut vitia sua obvelare, malefacta etiam calculum patrata omnibus modis excusare eniterentur? Ergò erit ab aliò quòdam, scil. ab eò, à quò etiam homines originem traxerunt suam. Propterea fit, ut scelera etiam occulta & ad nullius notitiam delata animos delinquentium vellicent & urgeant. Aspice quæso Neronem, quantis fuerit agitat- tus furiis, quantis accensus toedis, qui tamen Senecâ Mo- deratore atque omnibus superior & legibus duodecim tabu- larum exemplus? Considera Caligulam, quàm minatus fuerit ille cœlo & cum Jove contenderit, si tempestas ipsi non ad nutum esset! tamen ubi fulgurabat aut coruscabat, tum caput obnubebat, & sese sub lectum condebat. En ma- gnum & fortissimum Heroem! qui antea DEO bel- lum indicebat, nunc verò cum DEUM arma sumere audit, de manibus ipsius fugit, seseque sub plumas abscondit. Immo totò die ferè fit, ut multi ob stimulos conscientiaë sauciataë seipso ex numero hominum ejiciant & ex finibus humanaë naturaë exterminent, sibi que ipsis violentas inferant manus & ita poenam summi judicis effugere autument. Quò ipsò fatentur se DEUM aliquem ut summum judicem agnoscere, in cujus potestate sit malos punire, bonos verò præmiis & honore afficere.

§. 8. Sed hîc iterum habent, qui Atheismum profi- tentur, quod reponant dicentes, hoc argumentum ex con- scientiaë testimoniò petitum infirmum esse ideò, quia ple- rumque imò semper falsorum DEORUM cultores consci- entiaë morsu angantur, si DEIS suis debitum honorem non tribuerint, aut aliud quid poenâ dignum admiserint. Resp. Consequentia illa falsissima est. Quemadmodum non sequi- tur, febricitanti amarum est, quicquid exhibueris & conse- quen-